



MACRIANVS, Gallieno & Aureolo vsurpate imperiū, factus est Imperator, cum duobus filiis suis, Macriano & Quie-
to: idque consilio & opera ducis Balistæ, ac omnium militum as-
sensu. Hic cum statim cōtra Gallienū veniret, ac 45000. militum
secum duceret, in Illyrico, vel Thraciarum finibus, congressus
cum Aureolo, victus & cum Macriano filio interemptus est: tri-
ginta deniq; milia militum in Aureoli potestate concessere. Do-
mitianus autem eum vicit, dux Aureoli fortissimus, & vehemen-
tissimus, qui se originem diceret à Domitiano Imperatore trahe-
re, atque à Domicilla. De hoc sic scripsit Valerianus ad senatum
è Perfidis finibus: *Ego P. C. bellum Persicū gerens Macriano totam rē-
pub. credidi, quod à parte militari ille vobis fidelis, ille mihi deuotus, illum
& amat & timet miles: nec noua vel inopinata nobis sunt: pueri eius vir-
tus in Italia, adolescētis in Gallia, iuuenis in Thracia, senescētis denique
in Illyrico & Dalmatia comprobata est, cum in diuersis prælijs ad exem-
plū fortiter faceret: huc accedit quod habet iuuenes filios Romano dignos
collegio, nostra dignos amicitia.*

MACRIANVS iunior vnà cum patre factus est Impe-
rator, vnà item cum patre cuius merito imperare cœperat, à Do-
mitiano victus, triginta, vt superius dictum est, milibus militum
spoliatus est. De hoc multa dicuntur quæ ad fortitudinem perti-
nent iuuenilis ætatis. fuit matre nobili, patre tantum forti &
militia claro. Trebel. Pol.